

539
PAVLLI MA-
NVTTII COMMENTA-
RIVS IN LIBRVM DECI-
MVM SEXTVM EPISTOLA.

rum Ciceronis ad At-
ticum.

IN EPISTOLAM I.



NONIS *Iulii*?] scripserat Atticus Cicero-
ni, Bruti ludos esse proscriptos sic, A no-
nis Iulii ad III. Idus: ut scilicet populo si-
gnificaretur, ad sextum diem ludos esse du-
raturus. eam proscriptionem ut maxime
turpem Cicero detestatur: nec id quidem
iniuria: quia certe nimis absurdum vide-

retur, apparere Iulij nomen in proscriptione ludorum, quos
Brutus daret, is, qui ipsum Iulium non ferens vita priuasset.
oportebat autem non nonis Iulii proscribere, sed nonis
Quinctilibus; primum, ne tyranni nomen usurparetur: dein-
de, quæ ad Cæsaris honorem ciuitas non libera constituisset,
ea ne confirmarentur. nã ex historia notum est, decreuisse fe-
natum, ut Iulius mensis e Cæsaris nomine vocaretur, Quin-
ctilis ante dictus. Sed de Bruti ludis ita proscriptis vnde affe-
ram, si quis quærat; locus est infra, vnde didici: quo ex loco
descripta verba recitabimus. sic igitur epist. 14. lib. 16. In Ne-
sida XIX. idus. ibi Brutus. quam ille doluit de nonis Iulii.
mirifice est conturbatus: itaque sese scripturum aiebat, ut ve-
nationem eam, quæ posttridie ludos Apollinares futura est,
proscriberent, III. idus Quinct. non, III. idus Iul. ut extre-
mum ludorum diem fuisse constet, IV. Idus, cum dies venati-
onis, quæ ludos est Apollinares consecuta, III. Idus sit. *Me-
hercule istis.*] dices: mehercule nonis Iulii futura erat com-

P